

ac omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis tibi et eisdem successoribus auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus et etiam reservamus, ita quod deinceps perpetuis futuris temporibus, quocienscunque alias tres praebendas huiusmodi cum suis canonicatibus per cessum vel decessum eiusdem ecclesiae canonicorum ipsas pro tempore obtinentium vel alias quomodolibet vacare contigerit, tu et successores praedicti ad singulas ipsas tres praebendas pariformiter sicut ad quatuor alias praebendas supradictas personas idoneas, quas ad id duxeritis eligendas, etiam si quaelibet personarum ipsarum unum duo tria aut plura beneficium seu beneficia ecclesiasticum vel ecclesiastica obtineat, illi vel illis cuius seu quorum interest per eum seu eos in canonicos ipsius ecclesiae instituendas libere et licite praesentare valeatis, alicuius licentia super hoc minime requisita, non obstantibus praedicta cui quoad tres alias praebendas huiusmodi duntaxat derogare volumus, et quibusvis aliis consuetudinibus ac statutis dictae ecclesiae, illis praesertim, quibus caveri dicitur, quod nullus inibi maiorem praebendam assequi valeat, nisi de minori praebenda ad maiorem praebendam huiusmodi gradatim et per optionem ascendat, contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et praebendis in dicta ecclesia speciales aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras ac processus habitos per easdem et quaecunque inde secuta ad praefatos tres canonicatus et praebendas volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatum et praebendarum aut beneficiorum aliorum praeiudicium generari, et quibuslibet privilegiis litteris et indulgentiis apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romae apud sanctum Petrum X. Kal. Januarii pontificatus nostri anno quinto.

Arnoldus.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 908. 1423. 15. Juli.

*P. Martin V. ernennt den Probst des Collegiatstifts St. Sixti zu Merseburg Johann Boze zum apostolischen Nuntius und überträgt demselben mit umständlicher Ertheilung der hierzu erforderlichen Vollmachten das Amt eines päpstlichen Obersteuereinnehmers in der Magdeburger Kirchenprovinz und dem Bisthum Meissen.*

Martinus episcopus etc. dilecto filio Johanni Boze praeposito ecclesiae sancti Sixti Merseburgensis, apostolicae sedis nuncio, iurium fructuum et proventuum camerae